Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1557

Quelle:
Copyright:

riarum actus ritu ſolito 4. partibus preſentibus integrabitur ſeu conſtabit. Hae ſunt: Quaeſtio praeambula, Quaeſtio *Licentiando* proponenda et ab eo determinanda, Collatio in *Licentiandi* ſeu *Veſperiandi* laudem, et Gratiarum Actio. Ex his ſola in *Codice* comparet Pars tertia, pro cujus Themate Praeſes adſumſit illud *Joh.* 3. *Tu es magiſter in Iſrael*, et cum multa de ſignificatu vocis, officioque Magiſtri diſſeruiſſet, ad jocos pro more delapſus Candidatum falſe exagitat, quod, dum *Romae* in cauſſa fratris ageret, meroque italico incaluiſſet, atque litus maris obequitaret, aeſtimaverit ob ſummam aeris ſerenitatem mare coelo continuum, ſpemque iſtud ingrediendi foverit, niſi ab obvio viatore dedoctus fuiſſet. Item, cum fere ante biennium ſolum adiiſſet patrium, et in *Montibus Chuttnis* quidam illi cereviſiam et vinum liberaliter obtuliſſet, invertiſſe illum populare proverbium, quod ait:

Vinum philatim (phialatim? filatim?) *cereuiſia ſed ocreatim*,

vinumque *ocreatim* hauſiſſe, et quae ſequuntur. Hinc novum Doctorem *Bohemum* fuiſſe conjicias.

V. *fol.* 46. Alius *Veſperiarum* Actus, qui incipit: *Sapientiſſimorum noſtrorum maiorum omni veneracione digniſſimorum veſtigijs inherentes* &c. tum Formula paene, ut in praecedente, et ſola Pars tertia, cui Magiſter praeſidens thema praefixit e *currentis*, ut ait, *Dominicae Sexageſimae* Evangelio: *Exijt qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. Luc.* 8. Plurima et hic luduntur in Candidati patriam civitatem *Sueviae Harau, (Horb ſeu Horw* ad *Nicrum)* in ejus nomen *Georgius*, et cognomen *Peczl*, in doctas ab eo Scholas *Egenburgae* et *Puſoniae (Poſonii?)* &c. In *Catalogo Ge. Ederi* et in *Speculo Acad. Locheri* jam 1419. toti Academiae Rector praefuiſſe legitur *Georgius Wetzel de Horaw* ſive *Horw*, Theol. Doctor annoque ſequenti Canonicorum ad Divi *Stephani* Collegio inſertus; Actum itaque noſtrum ſaltem a. 1418. adfigere oportet.

VI. *fol.* 62. Quaeſtio in ejusmodi Actu diſceptationi propoſita: *Vtrum dei filius factus homo temporaliter quemlibet predeſtinatum ſecundum omnes ſuas potencias beatificabit eternaliter.*

VII. *fol.* 78. *Sermones* IX. ſacri, videlicet de *Feſto Penteco*ſtes habitus *Anno domini 1420. 25. die Maji ſ. Vrbani.* Geminus de *Aſſumptione B. V. M.* De *Nativitate* Ejusdem habitus *Anno 1409. in Monaſterio Scotorum Wyenn.* Geminus de Ejusdem *Conceptione*, in quorum priore Orator dicit: *Mariam ab originalis labis contagione pene immunem uel mox mundandam.* De *Annunciatione* Geminus, et de *S. Cholomanno*